

In illo témpore:

- ¹¹ **A**biit Iesus in civitátem, quæ vocátur Naim, et ibant cum illo discípuli eius et turba copiósa.
- ¹² Cum autem appropinquáret portæ civitátis, et ecce defúctus efferebátur fílius únicus matri suæ, et hæc vídua erat, et turba civitátis multa cum illa.
- ¹³ Quam cum vidísset Dóminus, misericórdia motus super ea dixit illi: «Noli flere!».
- ¹⁴ Et accéssit et tétigit lóculum; hi autem, qui portábant, steterunt. Et ait: «Aduléscens, tibi dico: Surge!».
- ¹⁵ Et resédit, qui erat mórtuus, et cœpit loqui; et dedit illum matri suæ.
- ¹⁶ Accépit autem omnes timor, et magnificábant Deum dicéntes: «Prophéta magnus surréxit in nobis» et: «Deus visitávit plebem suam».
- ¹⁷ Et éxiit hic sermo in univérsam Iudæam de eo et omnem circa regiónem.

Verbum Dómini.